



**C**Hilianus ex Ostrofrancorū Bosphoro, vulgò  
Ochsenfurt, natus est anno 1470. Is cū præclara  
indole ornatus esset, à pueris operā literis dedit, &  
in linguarū ac artiū studio plurimū profecit. Pos-  
tea ut cōmodius literis uacare possset, Rebdorphū  
monasterium accessit, & eum ordinē suscepit. Cœ-  
nobium illud canonicorum regulariū ad Almonū  
fluuium, supra Aichstadium, in lōga ualle fundatū  
& extrui cœptū, anno 1156, sub episcopo Aystetensi  
Cōrado à Morsbeck, Friderici Imperatoris gratissi-  
mo cōsiliario, ab Imperatrice Beatrice Burgundio-  
nū ducissa, quæ pagū Rebdorphensem ad extruen-  
dum monasterium Episcopo dono dedit. Ibi Con-

radus præsul, & Gebhardus ultimus comes de Hirsberg sepulti quiescūt. Cū  
autē eius loci præpositus cum suis monachis, ferè ex nobilitate susceptis, à ma-  
iorum uirtute degenerarent, & uoluptatibus operā darent, Ioannes de Quer-  
cu Episcopus Aichstadianus anno 1458 Observatiā regularem introduxit,  
& ex Præpositura S. Augustini Prioratum fecit. Itaq; cum Chilianus in eo mo-  
nasterio aliquandū uixisset, anno 1503 in die S. Perpetuæ & Fœlicitatis, quar-  
tus Prior ob uirtutes electus est. In eo officio is per annos 50 perseverauit, atq;  
bellum Bavaricum, Rusticum, & Germanicū uidit, & copiosè descripsit, cum  
natura fuerit polygraphus, & Historiarum studiosissimus. Tandem cum oc-  
togesimum annum excelsisset, obiit, & in suo cœnobio sepultus fuit. Casp.  
Brusch, in Monast. Ger.